

dratis *se* & *si* relinquentur æqualia. Quare per 14. e 10, latera æqualium rectangulorum sunt reciproca, utque *ua* ad *ay*, sic *yi* ad *ue*. Jam vero ut *ua* ad *ay*, sic per c 9 e 7 *oi*, id est per 6 e 10 *ea* ad *y*, & sic igitur ex concluso *iy* ad *ue*, & sic per c 9 e 7 *ue* ad *oid* est per 6 e 10 ad *ai*. Itaque ut *ea* ad *yi*, sic *yi* ad *ue*, & sic *ue* ad *ai*. Quare intersegmenta *eu* & *iy* sunt continuè proportionalia inter datas.

P. R A M I G E O M E T R I Æ L I B. X I I I I.

de recta proportionaliter secta & de reliquis
quadrangulis & multangulis.


Adhuc sectio triplex fuit, unde æqualitatis rationes quinque fuerunt rationales: sequitur de sectione tertia alia sectio in segmenta duo toti proportionalia. Sectio ipsa primum definienda.

1. *Recta secatur secundum mediam & extremam rationem, quando fuerit ut tota ad majus segmentum, sic majus segmentum ad minus. 3 d 6.*

Hæc definitio geometrici generis tota est, per tropum tamen quendam sermonis ratio media & extrema dicitur pro medio & extremo proportionis termino. Secatur enim hæc linea sic, ut ipsa cum duobus segmentis faciat tres proportionis terminos, ipsa quæ tota sit primus terminus, majus segmentum medius, minus sit tertius, id breviter & proprie dicatur secari proportionaliter. Proportioni autem sectionis hujus à Campano 10 p 14 mirabilis potentia tribuitur in adscriptionibus ordinatorum solidorum: Cui (ait) cum plurima philosophantiû admiratione digna procedit natura, ut tam diversa solida tum magnitudine tum basium numero, tum etiam figura irrationali quadam symphonia rationabiliter conciliet. Hæc Campanus, alioquin laudum orator parcissimus. Eadem sectionis proportio divina appellatur à Luca Paciolo in libro hac de re per scripto, & cujus singulares usus comperientur vel in elementis Euclideis de fabrica quinquanguli, icosaedri, dodecahedri. Atque inde & caelestium rerum præcipua mysteria a Ptolemæo repetuntur.

2. *Si recta proportionaliter secta est rationalis data mensura, segmenta sunt ad eam & inter se irrationalia. é 6 p. 13.*

Euclides appellat utrumque tale segmentum *ἀποτομὴν* residuum, & certe segmenta hæc aliter explicari non possunt quam per residuum, ut si linea 7 pedum ponatur hoc modo, majus segmentum dicetur linea 7 pedum unde minus segmentum detractum sit, neque minus segmentum potest aliter explicari, nisi pars reliqua lineæ 7 pedum, unde majus segmentum sit detractum. Triangulum & é triangulatis omnia excepto parallelogrammo rectangulo, irrationalia esse sumuntur in geometria, neque tamen proponuntur, & hoc item sumi potuisset. Hæc igitur sectionis proportionalis definitio est: sectio sequitur é ratione oblongi cum quadrato.



3. Si